

suum visum est, eo ipso etiam confirmatur locum ipsius & sedem ad ætheream, non autem elementarem regionem referendum esse. Sed de loco ipsius, supra an infra Solem statuendum sit, ex parallaxi certissimè iudicabitur: de qua inferius agemus. Et quia loci cognitio ad notitiam ipsius substantiæ plurimùm facere videtur, censebitur etiam hoc si-  
 dus materia esse cœlestis, non elementaris.

Quòd cometæ & stellæ secundæ tam in ætherea quàm elementari regione generari possint. Cap. 4.



**E**TSI scriptores omnes stellas secundas & nouiter apparentes, nomine cometarum appellauerint, quos ex exhalatione calida & sicca pinguique, in elementari regione generari existimarunt: propterea quòd ex Aristotelis recepta sententia, in ætherea regione nulla generatio corruptioque dari possit, sintq; inibi omnia corpora pura & simplicia, nulli alterationi obnoxia: tamen an omnes illæ nouæ stellæ, quarum sub cometarum nomine mentio apud scriptores habetur, ac interdum etiam (populariter loquendo) stellæ nominantur, in regione elementari, ex materia illa pingui nascantur, & accendantur, adeoque omnes elementares duntaxat fiant, dubitari potest. Fuerunt enim quidam Philosophi, ut Anaxagoras & Democritus, qui existimarunt cometas cœlestes esse, & à cœlesti materia genitos, haud dubiè pro-